

Vd  
142



h. 8, b.

V 2  
142.

**RECTOR**  
**ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS**  
**IO. GOTHOFREDVS**  
**DE BERGER**  
**CONSILIARIVS AVLICVS ET**  
**ARCHIATER REGIVS ORDINIS**  
**MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS AC**  
**TOTIVS ACADEMIAE SENIOR**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**

S. P. D



**D**Eorum deorumque innumeralibus copiis prisca literarum profanarum monumenta abundant, quos aliorum quidem hominum, veri Dei sacris haud initiatorum, stupor finxit, at sapientia aliorum nunquam, nisi in gratiam plebis credulae admodum ac superstitiosae, ficta tamen simulataeque coluit pierate. Menti hic meae Plato subiicitur, epistolis suis feris hanc notam imprimens, si a Deo inciperent, minus uero feris, si a diis exordirentur, Graece sic effatum, τῆς μὲν γὰρ σωουδαίας ἐπιστολῆς θεός ἀρχει, θεοὶ δὲ τῆς ἡττων. Huius sane iudicium, de simplicissima dei natura unaque, tanti faciendum est, quanti fieri solet a Cicerone, qui eum iterum iterumque philosophorum laudauit deum. Doctrinis enim eius eoque ad rerum diuinarum et humanarum, causarumque, quibus hae continentur, scientiam ac cognitionem fructuosius esse potest, ut, si has dulcissimos fontes sanioris philosophiae, illum uocem sapientissimae totius antiquitatis appellaueris et oraculum, iudices rectissime. Nihilo fecius Pythagorae *μόνας*, hoc est, diuinitas una, eruditis tam perspecta est, quam Socratis supplementum, qui, ob reiectam *πολυθεότητα*, seu, deorum multitudinem, mortiferum cicutaec poculum, quae publica Atheniensium poena erat, exhaurire cogebatur, ita paullo ante locutus, ut, autore Cicerone, in Tusculanis quaestionibus, non ad mortem trudi, uerum in coelum ascendere, uideretur. Nec Aristoteles, ingratus alioqui Platonis auditor, magistri sui optimi sententiam dissimulare adeo potuit, quin, in extremo libro septimo Eudemiorum, praeclarissime omnium scriberet, *δῆλον δὲ, ὡς περ ἐν τῷ ὅλῳ θεός, καὶ πᾶν ἐκένω, κενῆ γὰρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος, ἀλλὰ τι κρείττον*, Latine, Calaubono interprete, *pateret autem, sic esse, quemadmodum in uniuerso est deus, & uicissim cuncta in illo. mouentur enim omnia ab existente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed praestantius quidpiam est principium.* Postremis his, tanquam admotis facibus, inflammatus Iul. Caes. Scaliger tantopere exarsit, ut exclamarit, *quid uis, diuine uir, est in nobis aliquid diuinum, quod sit praestantius ipsa ratione. Cum homo sit rationalis per intellectum, eritne, in bovine, ipso intellectu quicquam diuini. An tibi quoque noti fuerunt ipsi radii Spiritus S. cuius pietate uoluntas humana dirigatur. Quae demissa coelitus ut commodius intelligantur, altius res ipsa repetenda est.* Cautius modestiusque in epistola quadam, ad Vit. Lud. Seckendoffium, perillustri quondam Gottfr. Guil. Leibniz pronunciat, ubi tantummodo, illam Aristotelis sententiam pulcherrimam, ac rationi et scripturae diuini consentaneam, respondet. Nos, in praesentia, satis habemus, si, quantum aliud agentes, Philosophum Stagiriten ab atrocissimo Samuel. Parckeri, theologi Angli, crimine purgemus, quippe tantum abest, ut omnem iste de Deo sensum, cogitationemque omnem abiecerit, et posuerit fundamentum abominandae negationis naturae diuinae atque inficiationis, ut is potius hic, et alias, unum duntaxat statuerit mouentem. Id argumenti uel extremo, ut aiunt, digito, nunc attingisse, instituti nostri interest, quod fusius ex poetis, philosophis, ac ceteris falsae religionis fautoribus, ostendit Lactantius, *Quamuis uero, per propositi formam, angustissimis limitibus circumscriptam, non liceat digredi longius, temperare tamen mihi haud possum, quin illius purioris coetus doctoris elegantissimi disertissimique locum alium bene longum, memoratu maxime dignum, ac diuini plenum ingenii, huc, ad uerbum, sic transcribam, deorum cultu-*

Epist. XIII.  
ad Dionysium.

Ad Cardan.  
Exercit.  
CCCVII,  
n. 25.

Phys. VIII,  
6. Metaphys.  
XII, 7.

de falsa relig.  
lib. 4, 3. c. 99.

de orig. err.  
II, 1.

res, et cum iurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non  
Iovem, aut deos multos, sed deum nominant. adeo ipsa veritas, co-  
gente natura, etiam ab inuitis pectoribus, erumpit. Quod quidem non  
faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime deus ex memoria homi-  
num elabitur, cum, beneficiis eius fruente, honorem dare diuinæ in-  
dulgentiæ deberent. At uero, si qua necessitas grauis presserit, tunc  
deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestife-  
ra uis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si  
facua tempestas, si grando ingruerit, ad deum confugiunt, a deo pe-  
tuntur auxilium, deus, ut subueniat, oratur. Si quis in mari, uento sac-  
uiente, iactatur, hunc inuocat. Si quis aliqua ui afflictaur, hunc  
protinus implorat. Si quis, ad extremam mendicandi necessitatem  
deductus, uictum precibus exposcit, deum solum obtestatur, et, per  
eius diuinum atque unicum numen, hominum sibi misericordiam quaerit.  
Nunquam ipsius dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Post-  
quam metus deseruit, et pericula recesserunt, tum uero alacres ad  
deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, bos coronant,  
deo autem, quem in ipsa necessitate implorauerant, ne uerbo quidem  
gratias agunt. Adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria uero, ut  
uitia omnia, sic impietas aduersum deum nascitur. Vnde fati liquet,  
homines quoscunque, nulla ueri mundi procreatoris cognitione tin-  
ctos, nisi stipites truncique fuerint, communium expertes sensuum,  
aut bellius terriores, ac cum ratione insanire uoluerint, deum, eum-  
que unum ac solum, cognouisse, nec deos, ex animi sententia, protu-  
lisse, quos summi Iouis satellites ministrosque tacite habuerunt pru-  
dentiores Romani. At enim mittamus deos deasque, impiarum erro-  
rem gentium, quos non, nisi in summis praesertim magistratibus, ag-  
noscimus atque ueneramur. Nefas profecto sit Christiano nomini  
ac sceleris inexpiabile, et quouis supplicio dignum, aeterno rerum  
moderatori adiungere id genus alios, quod sanctionis illius terribilis,  
tonitrua inter et fulgura, promulgatae, praecepto primo interdi-  
ctum est seuerissime. Si Alexander olim M. apud Curtium, Dario  
imperium secum partituro, parem sese, respondit, ferre nihilo  
magis posse, quam mundus duobus regi solibus queat, cur re-  
gum regi, domino dominantium, soli unique, maiestatis di-  
uinæ socium et consortem obtrudere aequalem mortalis ausit.  
Adeoque uno plures non in coelis, sed terris, sunt quaerendi  
inter homines principes, quos ipsum Numen, per Dauidem,  
deos filiosque Altissimi nuncupat, ac suamet induit persona, au-  
toritateque instruit non uiolanda, ac praeficit rebus publicis, et,  
aeque ad malos iure et merito puniendos, ac bonos praemiis affici-  
endos, delegat. Inde facile intelligitur, quam obrem Plinius iunior,  
in oratione Panegyrica, eorum aequatam diis potestatem, Traianum  
uero principem diis simillimum, dixerit, huncque ab illis electum,  
et, magnum esse oportere, contenderit, cuius ditione et nutu  
maria, terra, pax, bellum, regerentur. Quin ipsi iudices infe-  
riorum a Mose et Dauide nominantur dei, iudiciaque istorum iudicia  
dei, quae haud secus reuereri iubent, ac si ipse Deus iudex federet,  
sententiamque pronunciaret. Atque id ipsum causae est, quare, ne  
tyranno quidem manum afferre ciuibus liceat, cum summi Imperan-  
tis simulacrum sit sacrosanctum, uiceque in terris fungatur, perpetuo  
ipsius praesidio munitus, contra, ac Cicero sentit, qui, illum ex  
hominum communitate exterminandum, diuersis rationibus passim,  
in libris de officiis, persuadere conatur, ignarus plane eorum, quae  
supra, ex Spiritu S. Codice, sunt stabilita. Salua igitur religione Chri-  
stiana, et deos, et deas, colimus, non diuino honore, nec in delubris,

Ms 142 JK

sed humano, in hominibus, iisdemque eminentissimis, quibus tantum deberur reuerentiae, quantum est praescriptum nobis, diuina luce collustratis, Quod si ullam deam, terris datam ullis, persona rerum omnium rectoris dignam fingere ac formare uellem, certe nunquam uoto saltem concipere succurrit digniorem

**CHRISTIANA EBERHARDINA,**

Potentissimi Poloniarum Regis, et Principis EL. Saxonis, FRIDERICI AVGVSTI, Domini nostri longe indulgentissimi, Coniuge amantissima, Domina demississimo itidem pietatis cultu prosequenda. Saepe ego mecum tacitus agitauis, quare ii, qui gentibus praesint ac rebus publicis, plus, quam in mortales conuenit, diligantur, honorentur, metuantur, quidue ipsis insit quod homines moueat, alliciat, terreat, cogatque, cum sui similes sint, hoc est, et conditione fragili ac caduca, et figura, iisdem, huius sane causam reperire aliam non potui, quam diuinitatis cum ipsis communicatae radios, qui oculos praefringunt, percillantque animos, et, quocumque uelint, impellunt. Si porro quaeras, quidnam principem, tot saepe inter hostium tela, insidias et pericula praesentissima, protegat, in promptu eadem est ratio, notaque latis Caroli V data monenti cuidam, ne ad obsessam ab se urbem propius accederet, responsio, exemplum percuntis sic Caesaris occurrere nunquam. Sed ad terrarum nostrarum reuertamur Deam,

**CHRISTIANAM EBERHARDINAM,**

quae, quamuis modestissima sit, et uel leuissimam adulandi speciem detestetur, titulum tamen non recusabit, ab ipso Spiritu S. sibi tributum, auctumque diuinis meritis ac confirmatum. Nulla enim aetas futura de huius pietate, sanctitate, innocentia, castitate, benignitate, iustitia, liberalitate, mansuetudine, humanitate, plane singulari, conticescet, quae tales, ac tantae sunt, ut hominem cum Deo arctissime coniungant, et solidam ipsius in illo imaginem expriment, uiuumque quasi in coelum efferant. Pietatis nominatim est ratio hic habenda, qua in unum et solum Numen flagrat incredibili, in eoque omnia sua studia, omnem operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem, figit, ac uetitam ipsorum uenerationem, quos minorum deos gentium nominaueris, siue diuos, aut potius, ut loquuntur, sanctos, prorsus damnat, emendatam religionem fouet ac tuetur, indigentibus benignissime facit, et perinde, ut Deam decet, usquequaque se tractat. Subiectissimorum in numero beneficiariorum non ultimus est Musarum cultor nostrarum,

*Io. Gottlobius Sinzius*, Pretschensis Saxo, qui, deuotum maiestati animum testaturus, Serenissimae Reginae natalem diem, quartum et quinquagesimum, ad XIII Calendas Ianuarias, feliciter illucescentem, oratione solemniter ligata, memoriter, in Auditorio maiore habenda, excipiet ac celebrabit. Praeterquam uero quod nostrum omnium, religiosissimorum clientum, munus est, immortalis Saxoniae Statori, pro patriae Parentis salute adhuc nobis concessa, humillimas publice agere gratias, eamque, ardentissimo precum studio, commendare porro, ut sero illa in coelum, unde orta est, redeat, ipse quoque orator dignus est auditu, qui, in suggestu oratorio, talem se praestabit, qualem cognitum iudicamus, id est, uirtutibus bonisque artibus politum, nec imperitum dicendi, nec in poetis uulgariter uerlatum. Constituta itaque supra die, hora IX matutina, accurrite, Ciues, et, pro perpetua incolumitate Dei Deaeque nostratis, uni solique Deo, nobiscum supplicate. P. P. Domin. III Aduentus Christi, A. R. S. clb Io CCXXV

4c

ran-  
uina  
rfo-  
nel-  
em  
A,  
Rl-  
ffi-  
tis  
qui  
les  
fit  
les  
ius  
fis  
a-  
as,  
ala  
ue  
m  
ris  
m,  
L  
m  
ri-  
ras  
a-  
ri,  
eo  
nt,  
ic  
li,  
o-  
o-  
o-  
m  
e-  
u-  
n,  
m  
n,  
er  
a-  
o-  
a-  
u-  
o,  
se  
se  
ue  
er  
cc-  
is,

1008

ULB Halle 3  
007 361 491







V 2  
142

h. S. b.

RECTOR  
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS  
O. GOTHOFREDVS  
DE BERGER  
CONSILIARIVS AVLICVS ET  
ARCHIATER REGIVS ORDINIS  
MEDICI PROFESSOR PRIMARIVS AC  
TOTIVS ACADEMIAE SENIOR  
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

